



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

164. An Novitii gaudeant privilegiis professis alicuius Religionis, concessis,
vel solum privilegio Canonis? Ex p. 3. tr. 2. resol. 73.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

nisi expressè id declarent, quod hic non fit, vt bene notat Pater Miranda *tom. 1. manual. quest. 12. artic. 10.* Vnde professio sic emissã non est simpliciter & verè professio, nisi tantum quoad dictum effectum expressum in Bulla Pontificis, aliàs; si de infirmitate conualesceret Nouitius, non egeret noua professione, quod est contra mentem, & verba Papæ concedentis, qui expressè restringit suum priuilegium ad effectum consequendi meritum professionis, & fructum Indulgentiarum. Atque ita communiter sentiunt omnes super hac re scribentes. Hucusque Hieron. Rodriguez cui præter DD. quos *vbi infra* citauimus, addendus est Barthol. Vecchis in *praxi Nouit. disp. 13. dub. 11.*

Quæ hic est R. antecedens signanter in §. Sed difficultas, & sequitur pro contento in hoc §.

2. Sed ego aduersus sententiam supradictorum late differui in *3. p. tract. 2. resol. 17.* & idèd cum multis DD. ibi docui in tali casu conferri Nouitiis veram professionem. Vnde si sanarentur, non egerent alia professione, & è vita decedendo Monasterium in eorum bonis succederet. Et hanc sententiam tantquam probabilem tenet etiam doctus & amicissimus Pater Lezana in *Summ. quest. reg. cap. 25. num. 39.* licet dicat cautè in hoc procedendum esse, cum feratur aliter decisum fuisse à sacra Congregatione. Verum cum de tali decisione non conllet authenticè, non recedo à mea sententia.

RESOL. CLXII.

An Nouitius in mortis articulo possit quouis anni Nouitiatu tempore professionem emittere?
Et in dicto casu notatur, quod talis Nouitius debet habere sexdecim annos completos. Ex p. 7. tr. 1. 2. & Milc. 3. Ref. 3. alias 1.

Sup hoc in duabus præcedentibus Ref.

§. 1. **N**egatiuè respondet Lopez de Texeda *contr. Theolog. mor. tom. 1. lib. 1. tract. 1. contr. 8. num. 17.* vbi sic ait: De hac re nihil certum inuenio quantum ad tempus quod suppleri potest, vt possit nouitiæ, vel nouitio in articulo mortis validè conferri professio non completo nouitiatu anno, & idèd postquam quosdam viros doctos circa hanc rem consului, illos discordantes inueni. Nam quidam dicunt, diebus octo posse nouitiam, vel nouitium ante expletum annum ad professionem validè admitti in mortis articulo. Alij verò magis extendunt priuilegium, & asserunt quindecim dies suppleri posse; sic audiui à Magistro Petro de Ledesma, & Magistro Herrera, de hac re consultis, cui sententiæ valde adhæreo, quibus cum alijs Doctoribus addo, posse vnicum dumtaxat mensẽ suppleri: quia huiusmodi gratia fuit à Pontifice concessa nouitiæ pro sola eius spirituali consolatione, vt frueretur gratis, & priuilegijs Ordini concessis, & vt consequatur omnium suorum criminum remissionem, qualem consequi dicemus eos, qui solemniter professi sunt. Ad rationem dubitandi. Respond. quòd licet illa facultas accelerandi professionem in mortis articulo sit gratia, & idèd ex eo capite amplianda, tamen quatenus exorbitat à iure communi, est potius restringenda saltem ad verborum proprietatem, quæ non potest dici restrictio, sed potius adæquata priuilegij interpretatio. Hucusque Texeda.

Quæ hic est supra R. 160.

2. Sed vt verum fatear omnes Doctores quos ego citavi in *part. 3. tract. 2. ref. 17.* quibus adde Zambellum in *reper. Mor. ver. Nouitius, num. 18.* Mirandam in *Man. tom. 1. quest. 12. artic. 10.* Gaudentium in *Man. Episcop. verb. Monialium professio, num. 4.* Bordonum in *tract. de Professore Regul. cap. 4. quest. 49.* non requirunt aliam conditionem, vt Nouitius possit emittere professionem ante annum elapsum, nisi articulo

mortis, vnde absolutè asserunt intra tempus probationis posse Nouitium in articulo mortis professionem emittere, & Ioannes Caramuel in *Reg. D. Re. ned. disput. 40. num. 463.* testatur Salmantice Patres Cistercienses dedisse professionem in articulo mortis Nouitio post tres dies habitus suscepi, & certe nouitiu Pontificis Pij V. pro priuilegio fuit consolati Nouitios pro tempore mortis; & sic in omni tempore anni nouitiatu, si mors acciderit, & quidem verba Bullæ Pontificis secundum verborum proprietatem pro omni tempore anni nouitiatu possunt intelligi, & hanc sententiam ego teneo. Nota vero, quod talis Nouitius debet habere sexdecim completos annos.

RESOL. CLXIII.

An Nouitij morientes possint eligere sibi sepulturam? Et quid, si in domo parentum moriantur, si ibi sint cum habitu, & licentia Prælati, an debeant sepeliri in Monasterio?
Et notatur, quod Religiosi possunt suos Familiares intra claustra morientes in sua Ecclesia sepelire. Ex p. 3. tr. 3. Ref. 109.

§. 1. **I**n Ta ad hunc casum respondet Iulius Laurorius in *elucubr. tit. 2. cap. 11. num. 99. & 100.* Regulares qui decedunt intra probationis annum, non sepeliuntur in Monasterio, quia non censentur plenè translati ad Monasterium, cum possint redire ad sæculum, *cap. statutus, de Regular.* & sic sepeliuntur in Ecclesia, in qua sepeliri debuissent, si ad Monasterium non fuissent translati. Archidiacon. *cap. cum quis, de sepult. in 6.* quod intellige, nisi se aliter habeat conuetudo, ex Syluestro *ver. sepultura.* Alij autem distinguunt, aut enim fuerunt in proposito redeundi ad sæculum, & tunc si sunt impuberes debent sepeliri in sepultura maiorum suorum, si puberes in sepultura electa; aut non fuerunt in tali proposito, & tunc sepeliuntur in proprijs Monasterijs, & hæc opinio concordat cum supradicta, dum loquitur de translatis. Nouitij tamen non possunt eligere sepulturam, etiam ante emissam professionem, neque post, licet secus alij sentiant. Ita Laurorius, sed confusè, & sibi contrariando.

2. Audiamus igitur Villalobos in *summ. tom. 2. tractat. 31. diff. 2. num. 13.* vbi sic ait. *Los Novicios se han de enterrar en los Monasterios donde son Novicios, como esta en costumbre, lo dixò Syluestro. y el Padre Fray Manuel dize, que es conforme à los priuilegios de las Religiones, y esto aunque muriese en casa de su padre, estando alla con el habitillo y licencia de su Prelado, como dize el mismo Padre Fray Manuel, aunque de derecho se banian de enterrar en los sepulchros de sus mayores, y no los auian de enterrar en la Paroquia, como dize Archidiacono. Mas ha de advertir, que los Novicios pueden elegir sepultura, como pueden dexar el habitillo, y voluerse al siglo.* Notandum est etiam hic obiter cum Portel in *dub. regul. ver. sepultura, n. 2.* quòd possunt Religiosi suos familiares intra claustra morientes in sua Ecclesia sepelire.

RESOL. CLXIV.

An Nouitij gaudeant priuilegijs professionis alicuius Religionis concessis, vel solum priuilegio Canonici? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 73.

§. 1. **N**egatiuè respondet Rodriq. in *quest. Regul. tom. 3. quest. 51. art. vltim. & Portel in dub. Regular.*

Regular. verb. Nouitij annus, numero 53, vbi sic ait. Nouitius directè, ac propriè solum gaudet priuilegio Canonis, alio vero priuilegio non gaudet, que conceduntur Professis, nisi exprimat de Nouitiis. Ita ille.

2. Sed contrariam sententiam sustinendam esse puto, quam tuetur Suarez de Relig. tom. 3. lib. 5. c. 16. numero 17. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 39. numero 13. & tom. 2. lib. 6. cap. 10. in fine. Riccius in praxi tom. 4. resol. 240. numero 2. Azorius tom. 1. lib. 12. cap. 2. quest. 10. Henriquez lib. 7. cap. 22. numero 7. Sayrus de cens. lib. 7. cap. 13. numero 6. quia licet Nouitius non sit verè, & in effectu Religiosus, in fauorabilibus tamen habetur tanquam Religiosus, & Professus, & largo modo Nouitius dicitur Religiosus, & Monachus, vt bene notat Rebuffus in praxi benef. tit. de dispensat. cum Regular. numero 23. qui testatur Cancellariam Apostolicam vocare Nouitium Monachum; quæ omnia magis corroborantur ex priuilegio speciali concessio Generali Societatis Iesv, cuius vigore omnia Societatis priuilegia Nouitij communicare valent, vt patet in compend. priuileg. dicte Societatis, tit. Communicatio, n. 5. vnde nostra Religio, & alia ratione communicationis hoc priuilegio gaudebunt.

RESOL. CLXV.

An Nouitius, cum redit ad seculum, teneatur ad expensas, quas in eum alendo Monasterium fecit, quia in Monasterio mulierum consuetudo est vniuersalis? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 16.

§. 1. Affirmatiuam sententiam posse aliquem sustinere, docet Peregrinus in comment. ad nostras constitut. part. 2. cap. 1. lit. G, §. 10. Quia Concilium Trident. sess. 16. de Regul. cap. 15. habet, quod discedente Nouitio à Religione ante Professionem, si aliquid acceperunt Religiosi ex bonis Nouitij, parentibus dicte Nouitij teneatur restituere, (nota) excepto victu, & vestitu Nouitij. Non enim hoc dixit Concilium, nisi dicte Nouitij tenerentur. Deinde in Monasteriis mulierum consuetudo est vniuersalis, vt Nouitiae alantur à parentibus, vel curatoribus. Ergo cum Concilium Tridentinum loquatur de Nouitiis, tam fœminis, quam masculis, sequitur idem obseruandum esse in viri que. Ita Peregrinus.

2. Sed hæc opinio est contra communem Doctorum sententiam, quam tuetur tredecim Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez in summ. tom. 2. libro 6. cap. 10. numero 4. quibus adde Ioannem Suarez in Enchiridio casuum conscientie lib. 3. verb. Religio, Paragrapho Nouitius egressus. Faustum in Theaur. Relig. libro 5. questione 191. Villalobos, & Suarez vbi infrà.

3. Dico igitur Nouitios ex Religione egredientes nullatenus teneri ad expensas, quia cum liberè possint redire ad seculum, si ad expensas tenerentur, possent ex hoc aliquando teneri; ergo, &c. Deinde redditus, aut elemosynæ Monasterij, non tantum sunt ad alendos Professos, sed etiam Nouitios. Et tandem is, qui ingreditur Religionem, statim se offert seruitio, & vtilitati Religionis, & de facto illi deseruit. ideo debitum est, vt eius bonis alatur.

Restat modo respondere ad argumenta Peregrini, & ideo.

4. Ad primum dico, quod si is, qui ingreditur Religionem, in sustentationem suam, pro tempore Nouitatus aliquid Religioni donet, non tenetur postea Religionem illi egredienti restituere, nisi eam Tom. VII.

partem, quam non consumpsit pro rata temporis. Et hoc secundum Suarez de Relig. tom. 3. lib. 5. c. 11. n. 5. & alios, determinat Concilium à Peregrino adductum; vnde non loquitur in terminis casus nostri, vbi nulla donatio, vel obligatio Nouitij, aut parentum intercedit.

5. Ad secundum respondeo; ex consuetudine vniuersali omnium Religionum ita fuisse interpretatum Concilium Tridentinum, vt in ipso comprehendantur solum Nouitiae fœminæ, & ideo Villalobos in summ. tom. 2. tractat. 35. d. 1. s. 16. numero 6. sic asserit. El nouicio que se sale de la Religion, no esta obligado à pagar los alimentos del nouicio. La razon es, porque si el monasterio le alimienta, tambien el lo seruido, y no obsta si à caso es vno malo, que esso es accidental, y assi esta en costumbre, que no son los nouicios, como las nouicias quanto à esto. Ita ille, Suarez, & alij communiter.

6. Illud verò quod addit Peregrinus, quod Magistri Nouitiorum bene experti sunt, Nouitios non seruire Monasterio, cum sint expertes rerum pertinentium ad Religionem, sed potius Monasterium seruire Nouitio, hoc inquam mihi non placet, sicut neque placuit supradictis Doctoribus, qui Religiosi fuerunt, & tamen dixerunt Nouitios seruire Monasteriis, & mereri alimenta pro dicto seruitio. Et ego puto, quod quilibet Nouitius, licet stolidus ordinariè loquendo, pro seruitiis Monasterio exhibitis, victum, & vestitum meretur; maxime in nostra Religione, vbi tam parè induimur, & comedimus. Igitur absolute nostram sententiam tenendam esse existimo, & ita his diebus in facti contingentia consilij, nec aliter tenendum est.

RESOL. CLXVI.

An Nouitius recedens à Religione reincidat in censuras, ac irregularitates, à quibus in Religione absolutus fuit? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 44.

§. 1. Affirmatiuè respondet Peregrinus in compend. nostrorum priuileg. part. 1. tit. absolutio, §. 1. in scholio. Sorbus in compend. priuileg. tit. Nouitius, §. de Nouitiorum absolute. ver. deinde, & Rodriguez in qq. Regular. tom. 1. quest. 24. articulo 15. asserentes Nouitios vi aliquorum priuilegiorum absolutos, redeuntés ad seculum in censuras, & irregularitates reincidere, ex eo quod hæc concessiones videntur conditionem includere, si in Religione perseverauerint, iuxta Syluestrum ver. Absolutio, §. n. 9.

2. Verum mihi contraria sententia placet, si dicte Nouitij à præfatis nexibus fuerunt absoluti vigore priuilegiorum, quæ adducit ipse Rodriguez q. 20. art. 21. vel vigore cuiusdam priuilegij Clem. I V. & aliorum priuilegiorum, quæ adducit Bartholomæus de Vecchis in praxi Nouitiorum, di. p. 9. dub. 25. n. 3. vbi nostram sententiam tenet, & validissimis rationibus firmat. Vide etiam Bonacinam de leg. disput. 4. quest. 2. punct. 7. §. 4. numero 28. Suarez de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 24. numero 6. & alios. Ratio est, quia absolutio purè & simpliciter data non est explicanda, datam fuisse ad reincidentiam, vt notat Suarez in 3. p. tom. 5. disp. 7. sect. 5. num. 35. nisi in casibus à iure expressis, vt habetur in cap. eos qui, de sent. excomm. in 6. vel nisi facultas absoluendi ita expressè concessa sit. Cum ergo in priuilegiis relatis eidem Nouitiis nominatim concessis non exprimat hæc reincidentia; ergo, &c. Et confirmatur, nam vt ego alibi firmavi, absolutus tempore Iubilæi à casibus referuatis, &c. habens animum lucrandi verè

Sup. hoc in to. 5. tr. 2. R. 79. §. Sed negatiuam, à lit. 3.

Alibi in to. 4. tr. 4. R. 61.